DE PRINCIPE GULAE INCOMMODO, EJUSQUE REMEDIO...

Giuseppe Torelli






N. N.

LECTORI.

*Cum primum dialogus iste in lu-
cem prodiret, invidos tantum
metuebat; nunc autem experien-
tia doct..s metuit etiam fautores. Fau-
tor certe ille fuit, qui alium dialogum
nescio quem eidem comitem adjunxit,
sed nimio favendi studio i..effecit, ut
invidus crederetur. Ægre tu..
ris dialogi pater sibi subjici..
lium. Itaque pro jure patrio..
vit, ut latebras quæreret, v..
prodiret. Non poterat primo
fratris latere divelli, cum
amicitiam inierat, sed
tus tandem paruit. De..
lector, monendus ere..
rius. Vale.*



Laymannus, Philopater.

QUid me quotidianis precibus fatigas? Si quid eſt in quo te juvare poſſim, utere opera mea: ſed interim noli invidere mihi, ut prodeſſe poſſim quamplurimis. Phil. Excutiendæ tibi ſunt ingenii vires, ut magna cura me liberes. Proximis diebus dives ne abdomini ſerviens quæſivit a me jejunio excuſarem. Divitem dixi tis ad gratiam. Tamen negavi fieri po Ille ſtatim manum utram lexus amicitiæ monuit, vetera com-memoravit, ingentia promiſſa fecit. Quid lta? homo ſum. Victus precibus ma-dedi. Ægre permi ſed permiſi ta-men, ut cibo uteretur lo ne ſile-ret, ſi forte aliquis cuperet, unde hoc ſibi juris. Id primum uxor reſcivit.

Mox tota civitas. Igitur quisque domum meam ventitare, rogare ut per me sibi eodem jure frui liceret, satis esse notum quid aliis concessissem. Quid ego ad hæc? Rem dico consultatione indigere, parvis de rebus non agi; itaque tempus concedant. Biduum conceditur: statuta dies præterit: Instaurantur preces: tandem respondendum est. Vides quanto in periculo sim. Ego sane multitudinem inconsultam contemno; sed tamen multitudo est. Laym. Jubeo te bene sperare. Habes a Theologis nostris quomodo te facile expedias. Si tu quid sit Theologus, & quanti valeat hoc nomen, non ignoras, nihil est cur timeas. Phil. Equidem non ignoro, sed Patres metuo, qui religiosissime jejunii leges servari jubent. Laym. Novi quid isti præcipiant; sed novissime edicto cautum est, ne quisquam ipsorum auctoritate utatur. Phil. Monstra narras. Quid hoc edicti est? Laym. Recitabo ejus verba. *Quandoqui-*
[illegible] logi recentiores optime de Mora-
[illegible] ina meriti sunt, & cuncta mol-
[illegible] iplendo humanæ imbecillitati sub-
[illegible] erunt, eosdem in Patrum locum suffici
volumu [illegible] ut quidquid de quacumque re
[illegible] lixerint firmum ratumque habeatur. Si-
[illegible] is autem in posterum suam aliorumve
sententiam Patrum auctoritate confirma-
bit, eidem aqua & igni interdici jubemus.
Phil. Plane animam reddidisti. Nunc tandem videor posse respirare. Laym. Rur-

sus

ſus moneo: fac ſis bono animo. Jam remotis Patribus, paullo durius cum homine agentibus, & humanæ imbecillitatis oblitis, quiſque a jejunio liber eſt. Tam multæ ſunt cauſſæ, quibus excuſatio peti poteſt. Phil. Cedo mihi cauſſas iſtas, niſi moleſtum eſt. Laym. An eſt, cur alium ego malim, quam te videri ſapientem? Paucis accipe. Primum ætas excuſat; ſi quis annum vigeſimum primum nondum exceſſerit, aut ſexageſimum prætergreſſus fuerit. Nam ille cibo indiget, ut vires acquirat; hic ut amiſſas reficiat. Phil. Quid ſi tamen firma valetudine utatur? Num excuſari debet? Laym. Placet quibuſdam, & nobis quidem in primis, qui probabilia ſequimur. Poſt ætatem corporis infirmitas excuſat. Hæc enim proxima eſt ſenectuti: atque adeo ſenectuti ipſi excuſationem parat. Phil. Perge porro. Laym. Sequitur corporis labor, qui cum jejunio conjungi non poteſt. Itaque excuſantur Sutores, Famuli, Fabri, Curſores, aliique qui corpus aſſidue exercent. Excipiuntur autem qui ſe levius agitare ſolent, cujuſmodi ſunt qui fila ducunt, aut veſtes ſarciunt. Phil. Miſeret me iſtorum, qui Theologo carent. Laym. Eſt mihi, eſt animus: non deſeram auxilium petentes. Phil. Hominem non agnovi miſericordiorem te. Alii omnes [illegible] ſe officioſos putant, ſi uni aut alteri rem gratam fecerint: tu vero omne genus mortalium uno vin-

Valent. diſp. 9. quæſt. 2. Eman. Sà. n. 9. Trullenb. lib. n. 3. dec. c. 2.

Leſſ. lib. 4. de Juſt. & Jure. Medina. l. 1. Inſt. Confeſſ. c. 14.

culo devincire studes. Laym. Noli hoc mihi laudi vertere, quandoquidem ita sum a majoribus institutus. Nulla in re se nostri tam faciles præbent, quam ubi agitur de jejunio. Audi summæ humanitatis exempla. Phil. Audiam libenter. Laym. Convenit inter Patres, eos omnes, qui pedibus longum iter suscipiunt jejunii legibus non teneri; sed illos non item, qui equo aut rheda vehuntur. Ægre tulerunt Viri nobiles sibi minus concedi, quam homini terræ filio. Quæsti sunt cum Theologis nostris sibi ab hominibus, quos ne verbo quidem offendissent injuriam fieri. Itaque viderent num adversus eos lege Aquilia agi posset. Res ad concilium delata est. Variis sententiis pugnatum, sed vicit tandem pars melior; pronunciatumque est æquum videri, ut ii quoque qui rheda, aut equo vehuntur eodem jure gauderent. Eodem ipso die iis quoque consultum, qui pila luderent, & factum est decretum in hæc verba: *Quamquam prohibitum sit eo animo pilæ ludum instituere, ne jejunium servetur, tamen placere si quis ita corpore defatigatus sit, ut cibo abstinere non possit, a jejunio excusari*. Phil. Egregie hoc decreto otiosis hominibus provisum est. Est sane cur Theologis vestris eorum nomine gratias agam. Laym. Nulla est hominum conditio, nullus ordo, cui non prospexerint: dies noctesque de ipsorum commodis cogitant, fœminisque præsertim, quippe in-

Reinfest. r. 10. dis. 2.

Ortiz. Sum. c. 13.

Laym. de causs. a jejunio excus.

firmioribus, consulere conantur. Phil. Quid quæso de fœminis statuunt? Valde scire cupio; nam hæ plus molestiæ afferre solent. Laym. Hoc primum statuunt: *jus suum cuique tribuendum esse*. Phil. Novi juris principium. Quid denique? Laym. Cum ergo maritus uxori jus suum tribuere debeat, si id facere non possit, nisi cibo corpus reficiat, a jejunio excusatur. Phil. Valeat Ulpianus. Nemo melius cavit, ne cuiquam fraus fieret. Laym. Gaudeo hoc tibi probari. Quis autem non probet? Nihil majore studio Auctores nostri curarunt, quam ne inter eos, qui matrimonio juncti essent lites orirentur. Quoccirca Uxorem ipso jejunii tempore cœnare jubent, si periculum sit ne ob eam caussam maritus irascatur. Phil. Quid vero de se ipsis decreverunt? Laym. Longe æquiores in alios sunt, quam in se ipsos. Nihilominus eos a jejunio liberos esse volunt, qui Orationes ad populum habent, aut con-[illegible]tiones excipiunt, quod utrique se in [illegible]nere laboriosissimo exerceant. Phil. Nolim molestus esse; sed tamen inter utrimque vide qu[illegible] intersit. [illegible]ym. Recte mones, ideoque Pasqualigu[illegible] distinguit inter peccata *gravia*, & *levia*. Nam qui graviorum confessiones excipit, a jejunio liber est, qui autem leviorum non item. [illegible]il. Quam placet viri hujus ingenium? [illegible] hac una distinctione coniicio quantus vir fuerit. Laym. Numquam hominem

Sylv. qu. 147. art. 4. Saneh. de Sacram. disp. 54. n. 23.

Azor. par. 1. lib. 7. Fernand. p. 2. ex. Th. moral.

Graffius. par. 1. l. 2.

Dec. 331. n. 4.

pro

pro merito laudabis. Alii doctrinam & eruditionem mirantur. Ego magis capior singulari quadam naturæ morumque suavitate, qua sibi omnes mortales devinxit. Nemo melius moralis Theologiæ præcepta tenuit, & ad humanæ vitæ usus accommodavit. De jejunio plura scripsit, quæ valde probantur, & si longior vita fuisset, libellum editurus erat, in quo hoc sibi probandum susceperat: *Licere cuiquam, salva jejunii lege, discumbere vel decies in die.* Phil. Egregium opus amisimus, & auro contra æstimandum. Rogandi sunt Reges inferorum, ut hunc reviviscere sinant. Laym. Mitte Poetarum portenta, nec *misce sacra profanis*. Non deerunt qui ejus partes impleant, & quidem magna cum laude. Interim hoc debemus esse contenti, quod Medicis, Chirurgis, Caussidicis, Fullonibus, Calceolariis, & aliis id genus immunitatem dedit. Phil. Nihil amplius quæro. Huc demum redit res. Nemo est qui jejunium servare teneatur. Laym. Profecto: modo adsit justa caussa. Phil. Cujus tandem est cognoscere num justa sit? Laym. Non alius quam Sacerdotis, ad quem in rebus dubiis confugiendum est. Phil. Quid si mihi aliter videtur ac Sacerdoti? Laym. Hic se, velit nolit, ad tuam voluntatem accommodare debet. Satis est, quam caussam habes, tibi justam videri, ut ea quoque ipsi probetur. Phil. Cujus auctoritate hanc sententiam tueris?

Laym.

Laym. Cajetani videlicet. Audi àurea verba. *Confeſſarios moneo ne pœnitentes ſuos nimis urgeant, ſi rationem aliquam, quæ ipſis probabilis, & juſta appareat, afferant, cur in Quadrageſima tantum bis, vel ter per Hebdomadam jejunent, ne forte ſi ipſis denique contradicant, vel numquam omnino jejunent, vel ob conſcientiam gravius peccent, qui alioquin ſine omni culpa, vel ſaltem ſine mortali fuiſſent*. Phil. Sapienter, ut omnia. Sed tamen hæ voces intra parietes veſtros continendæ ſunt. Cavete ne exeant. *οὐ γὰρ ἀσφαλὲς οὔτε σοι λέγειν οὔτε ἐμοὶ ἀκούειν τὰ τοιαῦτα.*

12